


*maneat, sive supra Lunam adscendat: aut fit ex materia cœlesti
 vel per generationē substantialem, vel per alterationem meram,
 puta densitatis, opacitatis ac luminis; & manet supra, vel fer-
 tur infra Lunam; aut per meram creationem fit ex nihilo: aut
 denique aliqui Cometae sunt cœlestes loco & origine, aliqui ele-
 mentares. Hucusque Ricciolus, qui postea longo ordine Au-
 ctiores harum sententiarum laudat. Et hæc opinionum di-
 vortia jure bono ἐπέχειν docere nos poterant, quum quæ-
 dam de COMETIS dare animum induceremus. At enim
 verò, quum tamen periclitari vires heic velimus, ideo sine
 ulteriore ambage rem ipsam aggredimur. Veneramur
 autem DEUM, ut auxilio suo nos juvet, quò labor, quem
 suscipimus, veritati, in profundo latenti, eruendæ unicè
 inserviat. Ac ne confusè rem tractemus, utemur hæc Me-
 thodo. (1) Locum, (2) Divisionem, (3) Tempus, (4) Caput, (5)
 Causas, (6) Lucem, (7) Caudam & (8) Motum Cometarum vi-
 debimus; idque sine ullâ verborum pompâ brevissimè.*

CAPUT I.

De

LOCO COMETARUM.

§. I.


 Uæ hic occurrunt quæstiones: (1) ubi in mundo, (2) ubi
 in cœlo Cometæ sint quærendi?

§. II. *Ad primam quæstionem diversimodè respon-
 dent auctores. Alii enim Cometas infra Lunam gene-
 rari & moveri existimant: alii illos supra Lunam statuunt vel omnes
 vel indefinitè: Nonnulli denique plures quidem Cometas supra Lu-
 nam collocant; aliquos tamen infra Lunam retinent: & illos cœlestes,
 hos elementares appellant aut agnoscunt.*

§. III. *PRIORI OPINIONI Aristoteles Libr. 1. Meteor. c. 7. & 10.
 cum Peripateticis, Heraclides, Metrodorus, Xenophanes, Strato, Epi-
 genes, Boethius, Stoici plerique, Johannes Regiomontanus, Jul. Cæs.
 Scaliger, Scipio Claramontius, & innumeri alii addicti fuerunt. ALTE-
 RAM Chaldaei, Pythagoræi Italici, Democritus, Anaxagoras, Zenon, Ar-
 temi-*